

*N.* 13.





23

CENSURA  
DIVISIONIS RELIGIONIS  
ET THEOLOGIAE  
IN  
NATVRALEM ET REVELATAM

---

CVIVS  
SECTIONEM PRIMAM  
PRAESIDE  
IOANNE FRIDERICO GRVNERO

S. S. THEOLOGIAE DOCTORE ET PROFESSORE  
PVBLICO ORDINARIO

IN FRIDERICIANA REGIA X

A. D. VI. OCTOBRIS A. C. N. 1770

TVEBITVR

IOANNES TAMMEN BÜNING  
FRISO ORIENTALIS.

---

HALAE  
LITTERIS HENDELIANIS.

22



CENSURA  
DIVISIONIS RELIGIONIS  
ET THEOLOGICAE  
IN  
NATURALIUM ET REVELATAM

---

SECTIO PRIMA  
PRÆSIDII  
IOHANNIS FRIDERICI GRÄNERO  
S. S. THEOLOGICÆ DOCTOR ET PROFESSORIS  
PUBLICI ORDINARIUS  
IN FRIDERICIANA REGIA  
A. D. VI OCTOBRIIS A. C. M. CXXXIX

X

IOHANNES TAMMEN BÄNING  
ARISTOTELICUS

---

HALÆ  
LITTERIS WEDDELIANIS





LIBRARY  
MUSEUM  
VIRIS  
PERILLVSTRI BV S · ILLVSTRI BV SQVE  
SYMME AC PLVRIMVM VENERANDIS  
EXCELLENTISSIMIS · AMPLISSIMIS · DOCTISSIMIS  
REGII  
PER FRISIAE ORIENTALIS PRINCIPATVM  
PER DYNASTIAMQVE HARLINGENSEM  
SENATVS ECCLESIASTICI  
PRAESIDI GRAVISSIMO  
CONSILIARIIS ET ASSESSORIBVS  
SPECTATISSIMIS  
VIRIS DE PATRIA MVLTIS NOMINIBVS MERITISSIMIS

MAECENATIBVS ATQVE PATRONIS SVIS  
· SVMMA ANIMI PIETATE COLENDIS ·



LIBELLVM HVNC ACADEMICVM

MENTIS GRATISSIMAE INTERPRETEM

REGI

QVA

SENATUS ELECTORALIS

PAR EST REVERENTIA

PRÆSIDI GRAVISSIMO

DEDICAT

CONSILIARIIS ET ASSessorIBVS

MAJESTATIBVS ATQVE PATRONIS SVI

IOANNES TAMMEN BÜNING.



---

CENSURA  
DIVISIONIS RELIGIONIS  
ET THEOLOGIAE  
IN  
NATVRALEM ET REVELATAM.

---

PROOEMIUM.

Quod dici vulgo solet, docendo discere nos, illud iure optimo dici, cum expertus saepe sum; tum prorsus intellexi anno superiore, quum instituerem Religionis, quam Naturalem appellant, capita scholis academicis declarare, atque ostendere, quam egregie cum iis conspirarent dogmata Religionis Christianae. Descripseram autem cuncta, quod res ipsa iubere sic videbatur, in partes duas: quarum altera tractatione dogmatum theoreticorum absoluebatur; altera, practicum. Quum versarer in explicanda parte theoretica, quam, imposto Theologiae Naturalis nomine, philosophi nostri inter disciplinas retulerunt, quas Metaphysices terminis concluderunt; admonui, qui de his rebus praecipientem audiebant, eam totam constare spoliis, collectis ex revelatione divina, quae in codice sacro habeatur. Illudque, dicebam, luculenter intelligi; si progressus, quos in hac scientia fecerunt philosophi Christiani, conferantur cum conatibus philosophorum profanorum. Cacterum diuisionem ipsam Religionis & Theologiae in Naturalem et Reuelatam fundamento carere, nihil dum suspicabar. Nimirum diuisio illa inde a pueritiae annis infixa animo haerebat: eamque dudum praediuicaueram veram esse. Vbi autem peruenissem ad declarandam partem practicam, in qua vim Religionis maximam positam esse, nemo facile negabit; prorsus sentire incipiebam,

A



piebam, vires hominis sibi relictæ ad ea, quæ religio facere nos iubet, siue perquirenda et inuestiganda, siue exsequenda et tuenda, nihil valere. Atque ea res fecit demum; vt de parte Religionis et Theologiae, quam Naturalem dicunt, theoretica quoque dubitatio suboriretur mihi: num dogmata de existentia, attributis atque operibus dei, de quibus in Theologia Naturali, Metaphysices parte, disputari solet, absque reuelatione diuina, ope rationis solius, et sibi vnice relictæ, innotescere mortalibus possint, aut re ipsa vniquam innotuerint. Eius dubitationis tollendæ causa dum scrutor omnia, atque excutio diligentissime; deducor tandem in sententiam hanc, vt Religionis et Theologiae notitiam omnem inter homines ortam esse ex reuelatione diuina statuam: eius vero in Naturalem et Reuelatam diuisionem non veritate, sed opinione, communi illa quidem, et vulgo recepta, at falsâ tamen, niti.

Hoc autem dum affirmo, de vltimo initio religionis inter homines loquor. Nam prorsus non nego, posse existentiam dei, attributa, et opera eius, ex rerum, quæ in mundo hoc sunt et fiunt, consideratione diligente, contemplationeque intelligi ab omnibus; si iis de rebus admoneantur, atque animum, vt decet, attendere velint. Eos etiam, qui mentis acumine valeant, atque notiones ex notionibus, propositiones ex propositionibus eruendi habitu gaudeant, vbi attributa diuina, creatio mundi ex nihilo, conseruatio atque gubernatio eorum, quæ sunt in mundo et fiunt omnium, ex reuelatione diuina ipsis innotuerit, hos igitur posse etiam rerum earum omnium demonstrationes iustas et legitimas afferre; eaque, quæ disputant, ita arte inter se connectere, vt non tam ex reuelatione diuina profecisse, quam ex ipsâ rerum, quas tractant natura, ingenii sui solertia, dei rerumque diuinarum cognitionem cepisse videantur, philosophorum Christianorum exempla docent. Illud concedere nullo modo possum, quod in definitione Religionis, quam Naturalem vocant, tamquam certum sumitur, esse Religio-



ligionem inter homines, aut fuisse vñquam, quam eos ratio sola docuerit; siue, vt planius dicam, ad cuius illi cognitionem recto, sed solo facultatum animae, quae huic a natura insunt, vsu, absque omni reuelatione diuina, peruenerint. Nego enim, hominem, sibi prorsus relictum, id est, qui deum esse ne fando quidem inaudierit, si nudis naturae suae viribus vnice nitatur, ea, quae in mundo hoc sunt et fiunt, contemplaturum sic esse; vt in eam cogitationem indicat: esse ens aliquod inuisibile et aeternum, cuius numen, quae oculis cernuntur, omnia ex nihilo creauerit; solumque liberrima voluntate sua sic administret, atque gubernet, vt vnum singulorum hominum saluti tam consulat, quam provideat vniuersitati rerum, qua omnia continentur. Haec autem qui ignorat; is certe neque ad attributorum entis huius, multo minus ad officiorum, quae religio pie sancteque colere hominem iubet, cognitionem intelligentiamque perueniet. Quae vero quum ita sint; religionis inter homines notitiam non ex caeli et terrae, rerumque quae in iis sunt ac fiunt, consideratione contemplationeque ortam esse; sed reuelationi diuinae acceptam referri vnice debere, iure affirmare mihi videor. Atque in hoc animus nisi vehementer me fallat; licebit porro asseuerare, causam, quare Religionem aliquam et Theologiam Naturalem, a Reuelata, non genere quidem toto, sed specie tamen diuersam, commemorare et commendare vltius velimus, nullam esse.

Quae hanc in rem meditatatus sum, decreui libello singulari exponere: quod videbam, licere omnino vtilitatem inde haud contemnendam sperare. Nam discrimen, quod constitui hactenus consuevit, Religionis ac Theologiae Naturalis & Reuelatae sublatum, non solum de reuelationis diuinae necessitate ad omnes, atque de beneficii diuini, per reuelationem eam generi humano tributi, magnitudine iusto pretio aestimanda, grauissime nos admo-  
nebit: sed valebit etiam plurimum tam ad Naturalistarum vanita-  
tem



tem dicam, an infaniam, serpentem hac nostra aetate in dies latius, manifestissime redarguendam conuincendamque; quam ad ipsorum quoque dogmatum Religionis rite, et iucundissimo cum fructu tractandorum rationem omnem ac modum.

Verum de his rebus dicam, si vitam deus et vires concesserit, alio tempore diligentius. In originem quoque diuisionis Religionis et Theologiae in Naturalem ac Reuelatam inquiram olim probabiliter. Iam diuisionem ipsam ratione vacare, conabor demonstrare sic; vt disputationem omnem exordiar a disquisitione definitionis, qua vim et potestatem Religionis et Theologiae Naturalis declarare videntur sibi, qui illius laudatores sunt. Eam vero definitionem vanam esse, ostendere rationibus conabor: planumque faciam, Religionem et Theologiam, quam definiunt, Naturalem re ipsa nusquam esse. Progrediar deinde ad argumenta, quibus vti solent, qui esse aliquam Theologiam Naturalem, persuadere nobis cupiunt, explicanda atque excutienda: vt, quam illa nihil probent, appareat.

Ante autem, quam ad libellum hunc meum legendum accedas, quisquis es, in cuius ille manus inciderit, videris monendus mihi atque hortandus esse; animum ab opinionibus vacuum ac liberum vt afferas; neque iudicium de causa prius feras, quam, quae libro hoc scripsi, studiose perlegeris omnia, consideraueris diligentissime, accurateque perpenderit. Quum enim haud ignorem, quam difficile pati homines prope omnes soleant, euelli sibi opiniones, falsas licet, sed veteres, sed communes, et, quia imbui iis ab ineunte aetate coeperunt, penitus insitas; praeuidere facile possum, non defuturos, qui vociferentur statim, vbi vix inscriptionem libelli inspexerint, temere me facere, quod opinionem vetustam, comprobata doctissimorum hominum sententiis, et quae imperitorum quoque in animis penitus infederit, audeam argumentando labefactare atque conuellere. Omnes igitur, qui-

cum.



cumque libellum hunc lecturi sunt, obsecro, obtestorque, ne quid in re haud leui temere ac inconsiderate agant, neue iudicium suum praecipitent. Cogitent potius, neque verustatem opinionis, neque assensum popularem veritatis indicia esse. Multa haberi pro certis a maioribus consueuisse; quae feri tandem nepotes deprehenderint falsa esse. In opinione, si qua semel coeperit popularis esse, neminem facile commentum suspicari: sed solere eam bona fide, et tanta cum fiducia quasi de manu in manum tradi; vt plerique omnes nihil aequae vereantur, quam vt ne videantur hoc dubitanter facere. Ita vero inueterascere et corroborari inter mortales opinionum commenta: vt difficilius deinde ex animis, etiam si ratione conuellantur, euelli possint. Esse autem doctorum in primis academicorum, si cupiant esse, quod dicantur; neque velint mūnere suo, tam liberali illo et praeclaro, tamquam vili aliquo opificio fungi; esse igitur doctorum academicorum, eam operationem dare sedulo; vt nihil ex auctoritate et sententia aliorum, sine ratione, doceant aut scribant: sed ipsi potius speculentur et perscrutentur omnia, quantum fieri ab ipsis possit, diligentissime: opiniones, si quas deprehenderint falsas esse, modeste impugnent, et labefactent fortiter; neque in negotio tam graui sua commoda utilitatemque, sed dei gloriam spectent vniue: eam denique dei gloriam inquisitionem et inuestigationem veri ingenuam omnino ac liberam postulare.

His precibus meis, aequis sane et iustis, quicumque ex Lectoribus locum dabunt, eos non tam spero, quam confido plane, de incepto meo iudicaturos ex aequo et bono esse. Caeterum si quem maleuolentia sua praeter spem et expectationem meam transuorsum egerit, vt sustineat me atque libellum meum dente Theonino rodere; eum vero agitandum relinquo furiis suis, precatus mentem meliorem. Eam donec susceperit; licebit occinere illud Poëtae:

— Hic niger est: hunc tu, Romane, caueto.

Iam ad propositum venio.



## SECTIO PRIMA.

DEFINITIO RELIGIONIS ET THEOLOGIAE,  
 QUAM NATVRALEM DICVNT, EXPENDITVR. PRO-  
 BATVRQVE, HOMINEM, VIRIBVS NATVRAE SVAE  
 VNICE RELICTVM, NON POSSE DEVM COGNOSCERE,  
 MVLTQ MINVS COLERE. INDE AVTEM RATIONE  
 CONCLVDITVR, RELIGIONEM ET THEOLOGIAM,  
 QVALEM ESSE NATVRALEM VOLVNT,  
 NVLLAM ESSE.

## §. I.

Contra diuisionem Religionis & Theologiae in Naturalem & Reuelatam, quam scholae theologorum & philosophorum celebrare quasi vno ore solent, disputaturo videtur omnino a definitionis Religionis & Theologiae, quam Naturalem vocant, disquisitione ordiendum esse. Haec enim si probari poterit rem describere, quae nusquam, nisi in phantasia eorum existat; qui duplex cognoscendi Religionem ac Theologiam principium, atque inde binas Religionis & Theologiae species configunt nobis, & comminiscuntur; consentaneum erit, totam illam Religionis ac Theologiae in Naturalem & Reuelatam diuisionem fundamento carere, & nullam esse. Hoc autem vt planum faciamus; *primo* loco definitionem Religionis & Theologiae, quae appellari Naturalis consuevit, proponemus atque expendemus paullo diligentius. *Deinde* hominem, viribus naturae suae vnice relictum, non posse deum cognoscere, multo minus religiose colere, argumentis certissimis docebimus. Ex his efficiemus *denique* & concludemus id, quod totius disputationis nostrae caput est: Religionis & Theologiae inter homines notitiam omnem reuelatione aliqua diuina niti: diuisionem autem Religionis & Theologiae in Naturalem & Reuelatam ratione vacare, & parum aptam esse.

I. De-



I. *Definitio Religionis & Theologiae, quam Naturalem vocant, proponitur, et expenditur paullo diligentius.*

## §. II.

*Religionis* nomine rationem colendi dei significamus. Eam qui in veram & falsam diuidunt, fatentur, diuisionem hanc non esse generis in speciebus suas; sed aequiuoci in sua aequiuocata. Nos, qui censemus diuisionem istam a libris dogmaticis rectius abesse, superstitionis vocabulum adhibebimus, quoties illa opinionum & consuetudinum significanda vanitas erit, quam dicere religionem falsam consueuerunt. Sed quum colere deum nemo possit, nisi existentiae dei, attributorum, atque operum diuinorum; item relationum dei ad res creatas, homines maxime, rerumque creaturarum, hominum inprimis, ad deum; officiorum denique, inde oriundorum, notitiam certam atque accuratam habeat: oriuntur nobis inde *Dogmata Religionis*; quorum *alia* theoretica esse, *alia* practica, res ipsa planissime docet.

Disciplinam, vel, si mauis, scientiam, quae de dogmatibus Religionis exponit, *Theologiam* appellamus; si obiectiue & systematice eam consideres. Eius vero *partes duae* constitui in scholis solent; *theoretica* altera, altera *practica*; pro diuersa dogmatum Religionis, quae pars quaeque tractat, ratione. Sed idem *Theologiae* nomen si subiectiue vsurpetur, cognitionem, quam quis collegit sibi, dogmatum religionis significat.

## §. III.

Iam vero theologi aequae ac philosophi *duplex cognoscendi Religionem*, vel dogmata potius Religionis, atque *Theologiam principium* esse sumunt: *alterum* lumen naturae, siue rationem; *alterum* reuelationem diuinam. Inde porro *binas Religionis & Theologiae species* ettingunt; *Naturalis*, ac *Reuelatae*. Alteram enim appellare *reuelatam* solent; quod ex reuelatione diuina, in scriptura sacra literis consignata, uicem innotescat: alteram *naturalem*; quod solius luminis *naturae* ope cognoscatur.

## §. IV.

De *Religione & Theologia Reuelata* nihil attinet plura iam addere. *Principium cognoscendi* eam esse *reuelationem diuinam* planum est, & dubio caret. Et quidem ante, quam literis consignari inciperent, quae deus de attributis suis, operibus, & cultu homines edocuerat, *traditionem*, ut loqui solent, *oralem*: postea autem libros, in quibus dogmata religionis a deo reuelata perscripta reperiuntur; & quorum collectionem vno nomine



mine *scripturam sacram* appellare consuevimus. Non aequè facilis & expedita causâ est; si de *principio cognoscendi Religionem & Theologiam*, quam *Naturalem* vocant, quaeras. Etsi enim parata esse responsio videatur: principium cognoscendi eam Religionem & Theologiam esse *lumen naturae*, vel ut alii loqui solent, *rationem rectam*: tamen non aequè in promptu sunt omnia; si iam, *lumen illud naturae*, illaque *ratio recta* qualia demum sint, declarari distinctius debet.

## §. V.

Nam ad *lumen naturae* quod attinet; nomen illud non est ex numero verborum proprie demonstrantium ea, quae significari & declarari velimus: qualia esse omnino ea debent, quibus vti philosopho ac theologo ius fasque est, vbi docere velit. Hinc nomen hoc ambiguum admodum obscurumque est: ut mirum videri haud debeat, interpretationem eius perdifficilem & valde lubricam esse. Fuere, qui *lumen naturae* affirmarent notiones communes esse, siue praenotiones, ut appellabant, *περὶ ἁψεις*, *κοινὰς ἐννοίας*, quas menti humanae innatas & naturaliter insitas esse opinabantur \*). Ita, ut vnum saltem atque alterum nomen afferam, IOAN. MVSÆVS, in *Introd. in Theol. Cap. I.* vbi §. XII. p. 14. dixerat, „Theologiam Naturalem esse scientiam de Deo, ut hominis siue & bono summo, deque beatitudine & eius in Deo consequendae causis & mediis, lumini siue principiis naturae innixa,; §. XII. p. 15. addit: „Theologia Naturalis definiri poterit per scientiam de Deo, ut hominis siue & bono summo, deque beatitudine & eius in ipso consequendae causis & mediis, a Deo ad imitationem Theologiae suae partim per notitias insitas, partim per vestigia suarum perfectionum, rebus creatis impressa, & in illis reuoluentia, cum homine communicata,; Similiter IOAN. ANDR. QVENSTEDT, *Theolog. Didact. Polem. Part. I. Cap. I. Sect. I. Cap. XIII.* p. 7. „Theologia naturalis, ait, ex naturae lumine, siue ex communibus notionibus menti impressis, quae per creaturarum visibilibus obseruationem perficiuntur, hauritur. Cognoscitur enim Deus *naturaliter*, partim per notitias nobis natura insitas, partim per vestigia inuisibilium Dei, rebus creatis impressa, ita ut Theologia naturalis sit vel *ἐμφυτος*, seu *insita*, per modum habitus connati; vel *ἐπικτητός*, seu *acquisita*, Rom. I, 19. 20.,

Hunc

\*) Vid. STEPH. CHAUVINI *Lexic. Philos.* p. m. 370. ed. ult.



Hunc autem in modum qui *lumen naturae* interpretantur, illi *rationis* etiam vocabulo eandem fere sententiam interdum uti solent. Pertinent huic, quae scripsit IOAN. MUSAEVS, *Dissert. de Luminis Naturae, & ei innixae Theolog. Nat. Insufficient. ad salutem*, §. VIII. p. 6. „Per Theologiam naturalem intelligi habitum cognoscendi Deum, principii naturae & rationis innixum, vel ipsae voces indicant. Theologia enim, uti vocis, est habitus cognoscendi Deum, vel de Deo differendi. Vox *Naturalis* autem, differentiae causa adiecta, rationem cognoscendi, relationi supernaturali contradistinctam, importat, quae non in alio, quam in naturae & rationis principii constitui potest. Differunt enim, inter se *Naturalis & Reuelata*, ut sic dicam, *Theologia*, quod cum utraque sit habitus, circa Deum & diuina occupatus, illa *naturae & rationis principii*; haec *supernaturali Reuelatione*, tamquam ratione cognoscendi propria, nitatur. Neque per naturae lumen haec aliud, quid denotamus, quam naturae & rationis principia, quibus, velut rationi cognoscendi propriae, Theologia naturalis innititur. Quae luminis appellationem sortita esse videntur, quod intellectui sint ratio cognoscendi res alias, & ad eum se habeant, ut lumen, quod coloribus iunctum potentiae visivae est ratio videndi & cognoscendi colores, ad potentiam visivam sese habet. Item quae RYARD. ANDALA habet, in *Summa Theolog. supernatural. Part. I. Cap. III. §. I. p. 10.* „Principia, ex quibus Theologia, nec non Religio omnis derivatur, sunt duo, Ratio & Verbum Dei, siue S. Scriptura. Non tantum enim Ratio subiective significat facultatem illam mentis, quam Theologi vulgo ut *instrumen- tum* considerant, — sed & obiective & collative complexionem omnium rationum, siue causarum, ex quibus plurimas alias veritates porro deducere possumus; siue ipsum lumen naturae menti impressum.„

Verum enim vero notiones aliquas communes, siue praenotiones, MUSAEVS ipse mitius & de potentia propinqua interpretari solebat, menti humanae innatas esse, non pauci, iique insignes viri, ut loquitur STEPH. CHAUVINVS, *Lexic. Philos.* p. m. 442, dudum negauerunt. IOAN. LOCKIUS autem, *de Intellectu Hum. Lib. I. Cap. II.* 199. acutissime & copiosissime, brevius IOAN. CLERICVS, *Pneumatol. Sect. I. Cap. V. §. 16* 199. p. m. 39 199. *Tom. II. Opp. Philosoph.* omnem de ideis & principii innatis opinionem vanam futilemque esse ostendit: ut nemo hodie emunctae naris philosophus aut theologus explosae cicetaeque



sententiae patrocinium facile suscepturus sit. Iam vero, si notiones communes mentibus humanis innatae nullae sunt; neque Theologia Naturalis *ἐμφυτος*, insita, innata, congenita, vlla erit. Huius generis Theologiam igitur qui effingunt sibi, eamque declarare definitione conantur; illi non sentiunt animis suis phantasma aliquod, ratione vacuum, obiiici.

## §. VI.

Etsi vero illud de *notionibus communibus menti humanae innatis*, & de *Theologia aliqua Naturali insita* commentum nostrae aetatis theologi & philosophi prope omnes spernere coeperint \*): iidem tamen *Theologiam* ali-

\*) Vener. IO. ERN. SCHUBERT quidem, *Introduct. in Theolog. Renelat. Cap. I. §. III.* „Potentia naturalis, ait, DEI existentiam certo cognoscendi, „dicitur NOTITIA DEI INSITA.“, Sed *potentiam naturalem* cognoscendi rem aliquam neque esse, neque dici rei eius *notitiam* posse, facile concedet nobis Vir Celeberrimus; qui ipse non multum tribuere videtur definitioni suae, addens statim in *Schol. p. 6.* „Hanc notitiae insitae notionem amplecti „eos oportet, qui non imaginariam & nullibi existentem, sed veram ac realem statuunt.“, Atqui *potentia naturalis* rem aliquam cognoscendi profus non est ipsa *notitia* eius rei. Homo potentiam cognoscendi res multas a natura insitam habet: quis autem ferret serio affirmantem, hominem earum rerum omnium notitias a natura insitas habere? Qui igitur *notitiam dei insitam*, nescio quam, definiunt esse *potentiam naturalem* cognoscendi existentiam dei, illi hac ipsa definitione sua rem, quam definire sibi videntur, tollunt. Alia paullo ratione *notitiam* illam *dei insitam* atque *theologiam naturalem insitam* defendere studuit Vener. IO. BENED. CARPZOV, qui in *Lib. Doctrinal. Theolog. Purior. Praecognit. Cap. I. §. 6. p. 9* laudate scribit: „Theologia naturalis *connata*, siue *ἐμφυτος*, non sunt ideae „nimo insitae de Deo & rebus diuinis, quae obuersentur statim ab vtero „materno ante usum rationis; ita vt institutio nulla, nulla cognitio alia accederet. Hanc certe opiniunculam sua cuiusque experientia, suus cuiusque „sensus refellit.“, Atque haec tenus vera omnia & recta. In eo autem non possum profus assentire viro celeberrimo, quod addit statim: „Sed notitia „Dei, quae *insita* aut *connata* nominatur, aptius diceretur theologia naturalis *quasi insita*, aut *quasi connata*. Intelligenda est enim singularis quaedam facilitas hominibus connata, aut propensio facilis, Deum ope rationis cognoscendi ex contemplatione huius vniuersi, & huic cognitioni prompte assentiendi, veluti id in reliquis fit *νοητικῆς ἐνέργειας* siue notionibus communibus.“, His, inquam assentire minus possum. Nam nomini *theologiae naturalis QVASI insitae*, aut *QVASI connatae* notio nulla subest. Illa autem singularis, quam Vir doctissimus praedicat, facilitas, hominibus innata, assentiendi notionibus communibus, siue axiomatibus, est ipsa illa animae facultas, quam rationem dicimus; & quae veritatem eius generis pro-



aliquam *Naturalem* laudare pergunt; atque eam *Metaphysices* partem facere solent. Videamus igitur, qua ratione definiant. Sunt autem definitiones, quas afferunt, verbis, non sententiis, quantum video, discrepantes. Apponam earum exempla; vt de causa tota cognoscere & iudicare possimus. Loquentes autem inducam viros aliquot eruditione non philosophica minus, quam theologica conspicuos. Itaque G. E. HENR. RIPOVIVS, *Institutt. Theolog. Dogmat. Prolegom. Cap. I. §. 10.* „*Theologia Naturalis* est scientia de Deo, atque operibus ipsius, quatenus illa lumine naturae acquiritur., IAC. CARPOVIVS, *Theolog. Reuel. Dogmat. Cap. II. Praeliminarv. §. 62.* „*Religio Naturalis* est, quam sana ratio sola docet., IO. ERN. SCHVBERT *Introduct. in Theolog. Reuel. Cap. IV. §. CLXII.* „Diximus religionem esse certam Deum colendi rationem, eamque aliquam sibi praestruere Dei rerumque diuinarum notitiam. Haec autem notitia hauriri potest, aut ex sola ratione & naturae lumine, aut ex diuina quadam reuelatione. Priori casu religio dicitur NATVRALIS; posteriori vero REVELATA. Nimirum quatenus Deum per rationem ex vniuersalibus principiis & diuinis operibus cognoscimus, indeque officia quaedam respectu Dei adimplenda concipimus, habetur religio naturalis. caet., Et *Cap. XI. §. CCCXLVII.* „Ea theologia, quae ex solo naturae lumine demonstratur, NATVRALIS – dicitur., IO. PETRVS REVSCHIVS *Introduct. in Theolog. Reuel. Cap. II. §. XI.* „*Religio* vel per vires hominis naturales stabilitur, & vocatur *naturalis*; vel a diuina inspiratione ac reuelatione proficiscitur, & dicitur *reuelata.*„

## §. VII.

Satius omnino esset, si viri docti *luminis naturae* nomen prorsus omitterent; memores praecepti illius Logices, quod philosophum, sed theologum quoque, vbi notiones rerum distinctas informare debet, voces improprias & metaphoricas, quantum fieri possit, vitare iubet. Maiores nostri, qui notiones communes menti humanae a natura insitas esse sibi persuaferant, vbi notiones illas *lumen naturae* appellabant, nominis metaphoram declarare satis apte poterant: nobis, qui notiones illas mentibus nostris innatas iure reiiicimus, quo modo ideam facere liceat, plane non video. Mirum igitur haud est, HENR. KOEHLERVM, philosophum

B 2

olim

positionum incredibili quadam celeritate perspicit. Sed si intellectus subiecti & praedicati propositionis eius, cuius veritatem ratio cernere debet, notionem habeat: quae ipsae vero notiones a natura insitae nobis non sunt.



olim Ienensem haud incelebrem, conantem *luminis naturae* explicationem accuratorem dare, multum agendo nihil egisse. Ille vero *in dem Discurs über das Licht der Natur*. §§. 4. & 6, *lumen naturae* interpretatur cognitionem distinctam rerum, ad quam intellectus, qui animae humanae a natura inest, pertingere valeat. Deinde post verbosam magis, quam solidam variarum rerum disputationem. §. 85. affirmat, obiecta cognitionis naturalis disciplinis pluribus originem dedisse \*): atque in his §. 86. Theologiam Naturalem numerat, tamquam disciplinam praecipuam & grauissimam \*\*). Ea vero omnia quam praeter rem disputentur, apparebit facile, si cogitare velis; *lumen*, si tali in causa adhibeatur hoc nomen, qualis ea est, de qua quaerimus, non posse *cognitionem* ipsam denotare; sed debere *illud* omnino significare, *quod menti humanae ad cognoscendum quasi praeleuceat*. Idem fere habeo dicere de definitione *luminis naturae*, quam assert Vener. GE. HENR. RIBOVIVS, l. c. §. 8. „*Lumen naturae* est re-  
ctus usus facultatum, quae animae per naturam insunt. Nam *usus re-  
ctus* facultatum, quae animis humanis a natura insunt, non magis potest *lumen* dici, quam cognitio, ad quam homo recto facultatum earum usu peruenire potest. Accedit etiam, quod homo rectum facultatum, quae cum anima nascuntur, usum a natura non habeat: de qua re inferius plura dicentur.

#### §. VIII.

Qui Religionem & Theologiam Naturalem volunt eam esse, quam *ratio sola* doceat, *rationis* nomen, quasi vis eius & significatio satis nota esset, absque definitione ponere plerumque solent. Quod quam inconsulte faciunt, statim videbimus. Nimirum esse Religionem & Theologiam aliquam Naturalem, hoc vero tam ipsis videtur certum esse, quam quod sit certissimum. Itaque quum differentia specifica inter Religionem, si qua sit, Naturalem & Reuelatam nulla esse alia possit, quam quae a principio cognoscendi proficiscatur; Religionis & Theologiae Reuelatae autem cognoscendae principium reuelationem diuinam esse dubio careat; putant aequae certum esse debere, principium cognoscendi Religionem & Theologiam Naturalem esse rationem solam. Sed hi *rationem* interpretentur necesse est *aut* subiectiue, de facultate perspiciendi nexum rerum & veritatum;

\*) „Die Obiecta, worauf sich die natürliche Erkenntnis gerichtet hat, haben zu  
„verschiedenen Disciplinen Anlass gegeben.“

\*\*) „Die natürliche Theologie aber ist die vornehmste und wichtigste Disciplin  
„in dem Lichte der Natur.“



aut obiectiue, de veritatibus cognitis, siue de propositionibus vniuersalibus veris; aut denique in sententiam vtramque. Si rationem *subiectiue* interpretentur; quaero, quo modo nuda facultas animae nostrae perspicendi nexum rerum & veritatum docere nos res & veritates ipsas valeat, aut quo tandem iure dici *principium cognoscendi* queat? Si *obiectiue* intelligant; quaeso, ostendant, qua ratione propositiones illae vniuersales verae innotescere homini possint, nudae facultati suae cognoscitiuae relicto. Nam eas mentibus nostris naturaliter insitas haud esse, supra vidimus, & concedunt hodie plerique omnes. Si denique *utramque in sententiam* vocabulum illud intelligere se asserunt; respondeo, ea interpretatione difficultates, quas supra memoravi, integras relinqui. Veteres, qui *lumen naturae & rationem*, si obiectiue intelligas, pro synonymis habebant, atque notiones communes menti humanae a natura insitas interpretabantur, poterant *lumen* illud *naturae*, *rationem* illam obiectiue consideratam, qualem sibi fingebant, *principium cognoscendae* eius Religionis & Theologiae dicere, quam inde *Naturalem* appellabant. Sed recentioribus, qui notiones illas communes animis humanis innatas iure suo abiecerunt, nomina autem, quibus veteres principium cognoscendi Religionem illam suam & Theologiam Naturalem designabant, retinuerunt, non potest non aqua haerere, vt proverbio dicitur; vbi iam *luminis naturae & rationis* vocabula definitione declarare sic debent, vt appareat, rem, quam nominibus illis significari velint, esse omnino *principium cognoscendi* Religionem & Theologiam Naturalem, quo illa a Reuelata, tamquam species vna ab altera discernatur. Quod autem nonnulli *rationem sanam* appellant; illud, quod addunt, *ἐπιθετον* vix me intelligere fateor, quale sit. Quaeso enim, num est, aut cogitari fortasse *ratio* etiam *minus sana*, siue *insana* potest? Non ignoro quidem illud, quod legi apud multos, & audiui a multis saepe multumque: *cum ratione insanire*. Sed eos ipsos, qui ita loqui non dubitant, puto, si non insanire, certe non recte sentire. Nam *ratione* qui vitur, *insanire* non potest: Illud, quod *insanire* dicunt, qui tam parum apte loquuntur, non est rationis vsus, sed ingenii & phantasiae abusus. Atque inde intelligi quoque potest, quid iudicandum sit de eorum vocibus, qui conqueri de *abusu rationis* in Theologia solent. Ille nimirum *abusus*, de quo queruntur, non *rationis* est, qua nemo hominum vti nimis potest; verum ingenii & phantasiae. Vbi autem *ratio & reuelatio* inter se opponi coeperant, ortae subinde sunt eius generis opiniones falsae; quae



τὴν λογικὴν λειτουργίαν non possunt non multum remorari. Sed de hac re vt plura addam, locus hic non patitur.

## §. IX.

Superest, vt de definitione Religionis & Theologiae Naturalis dicam, quam supra ex b. IO. PETR. REVSCHII *Introduct. in Theol. Reuel.* attuli. Vir ille, dum viueret, non solum eruditissimus, sed integerrimus etiam; anima, vt Horatiano verbo vtar, qualem candidiorem terra non tulit: quo ego doctore olim in philosophia & theologia fidissimo, fantore deinde & amico vsus sum, cuius mihi memoria semper sancta erit: vir igitur ille acutissimus, perspicuus sine dubio, quibus difficultatibus interpretanda Religione Naturali vti. Itaque Religionem Naturalem dici cam affirmavit; quae *per vires hominis naturales stabilatur*. Eandem in sententiam HERM. SAM. REIMARVS, in libro praestantissimo, *Die vornehmste Wahrheiten der natürl. Religion, 1. Abhandl. 1. §.* „Wer ein lebendiges „Erkenntniß von Gott hat, dem eignet man billig eine Religion zu: und „so ferne dieses Erkenntniß durch die natürliche Kraft der Vernunft zu „erhalten ist, nennet man es eine *natürliche Religion*. Et saeculo iam „superiore medio BALTH. CELLARIVS in *Epit. Theol. Philosoph. seu „Natural. Disput. I. §. V.* rationem expositorus, quare Theologia, de qua quaerimus, *Naturalis* appelletur, Naturale negat hac in causa significare id, quod per generationem insit: „sed naturale, ait, h. l. dicitur, quod „solis intellectus humani viribus inuestigari potest, ita vt ad notitiam illam „speculari Dei reuelatione opus non sit.

Ita vero qui Religionem & Theologiam Naturalem definiunt, ii quidem in difficultatem illam non incurrunt, in quam *luminis naturae ac rationis* verba impropria atque ambigua eos coniciunt, qui illis vti hac in causa non dubitant. Plane enim & perspicue omnino loqui videntur; qui *vires hominis naturales, vim rationis naturalem, solas intellectus humani vires* nominant. Sed hi ipsi delabuntur in difficultates alias, haud minores sane; & quibus nullo modo posse se explicare videntur. Nam quum assentiant, neque enim negare possunt, differentiam, quae constituit inter Religionem ac Theologiam Naturalem & Reuelatam soleat, proficisci a ditersitate principii cognoscendi; iam vbi ex iis quaeras; quale igitur sit *Principium cognoscendi Religionem & Theologiam Naturalem*; quid respondeant, vix reperient. Audiamus IO. LAVR. MOSHEMIVM,  
E/se-



*Element. Theolog. Dogmat. Vol. I. Prolegom. Cap. I. p. 26,* vti loquentem inducit CHR. ERN. DE WINDHEIM: „Prima diuisio defunta est „*principio Theologiae*, a quo, vt notum est, Theologia diuiditur in „*naturalem & reuelatam*. Quicumque naturam scilicet attente considerat, „& in illa consideranda ratione sua recte vtitur, is multas veritates inuenire „potest de Deo, de attributis diuinis, & ita porro. „ De diuisione Religionis, quae principio cognoscendi eam duplici nitatur, loqui instituerat. Iam igitur vbi de principio cognoscendi Theologiam Naturalem dicere debebat, quasi, de qua re quaeretur, ignoraret, transilit ad rectum rationis vsum in consideranda natura, siue rerum, quas oculis cernimus, vniuersitate. Rectum autem rationis in consideranda rerum natura vsum quis esse, aut vocari *principium cognoscendi* posse dixerit? Cautius, vel, vt verius dicam, astutius ille, cuius supra mentionem feci, BALTH. CELLARIUS l. c. §. XVII. „*Principium siue medium* illud, per quod in Dei notitiam naturaliter prouehimur, est id, quod in homine est optimum & „diuinissimum, ratio nimirum, siue intellectus. „ Ludit aperte ambiguitate verborum; quae in voce *principium*, quam *medium* aequae ambigue interpretatur, atque in illis latet: *in dei notitiam NATVRALITER prouehimur*. Nimirum ratio, siue intellectus ex more loquendi Scholasticorum dici omnino potest *principium* Theologiae Naturalis: verum non *cognoscendi*; sed *actiuum quo*, seu *instrumentale*. Vbi autem de *principio* Religionis & Theologiae Naturalis, quo illa discernatur a Reuelata, instituendus sermo est; quod fieri debet in declaratione vltiore definitionis Religionis aut Theologiae Naturalis: ibi sane de *principio cognoscendi* exponendum est; minime de *principio actiuo quo*, siue *instrumentali*, quod Religio & Theologia Reuelata cum ea, quam Naturalem dicunt, commune habet. Nam dogmata Religionis a Deo reuelata non possunt a nobis percipi, nisi facultate, quae animis nostris naturaliter inest, cognoscitiua, intellectu & ratione. Quod porro CELLARIUS scribit, *ratione, siue intellectu nos in dei notitiam NATVRALITER prouehi*; illud itidem obscuritate haud caret; a nobis autem exquiri eo diligentius debet, quod ea inquisitio deducet nos ad intelligentiam formularum, quibus definitiones Religionis Naturalis Reuschiana & Reimariana, quas supra attulimus, conceptae sunt. Iam vero CELLARIUS l. c. §. V, vt superius vidimus, seripserat se, vbi de Religione Naturali quaeratur, *naturale* appellare non id, quod homini per generationem inest; sed illud, quod solis intellectus humani, reue-



reuelatione diuina prorsus non suffulti, viribus inuestigari possit. Itaque CELLARIO nostro Religio & Theologia *Naturalis* est notitia dei in quam homo, vt §. XVII. loquitur, ratione, siue intellectu *naturaliter* prouehitur. Hoc autem illud ipsum est, quod REVSCHIVS dicit, Religionem *Naturalem* per vires hominis *naturales* stabiliri: REIMARVS, Religionem *Naturalem* esse cognitionem dei, qualem homo per vim rationis *naturalem* capere possit \*). Sed hae formulae omnes subobscurae sunt, & declarationem desiderant. Olim qui lumen *reuelationis* & lumen *naturae*, siue rationis, vel, quod idem est, reuelationem & rationem, inter se opponebant, tamquam *principia cognoscendi* Religionem & Theologiam bina, vnde duae Religionis & Theologiae species, *Reuelatae* nimirum & *Naturalis* orirentur; illi per lumen *naturae*, siue *rationem*, intelligebant notiones communes, quas menti humanae a *natura* putabant insitas esse. Atque eas, quas fixerant sibi *notiones* communes, animis nostris innatas, poterant videri recte opponere *notionibus*, quas homo ex reuelatione diuina, siue ex scriptura sacra, caperet. Porro quum notiones illas, quas naturaliter insitas esse menti humanae opinabantur, non esse rationem vel intellectum ipsum, illam animae nostrae facultatem, praecipere; sed inesse in ratione & intellectu, tamquam in subiecto; vnde rationem quoque obiectiue consideratam, item lumen rationis, lumen *naturae*, appellabant: dicere omnino poterant, esse eas notiones communes, menti humanae a *natura* insitas, illam *rationem*, lumen illud rationis & *naturae*, *principium cognoscendi* Religionem & Theologiam *Naturalem*. Sed qui negant, notiones communes mentibus nostris a *natura* insitas esse; ii vero non cogitant, ea ipsa re negandum quoque sibi esse, lumen aliquod *naturae*, siue *rationem*, esse posse principium cognoscendae Religionis alicuius & Theologiae, quae *Naturalis* dicenda sit, atque a *Reuelata*, vt species vna a specie altera eiusdem generis, differat. Potius duas illas Religionis & Theologiae species pertinaciter retinendas esse censent, quarum altera, *Naturalis*, naturaliter, folius rationis vi naturali, viribus hominis naturalibus, cognoscatur: altera ex reuelatione diuina vnice innotescat. Hi igitur ab iis, quos supra (§. VI.) vidimus notiones illas communes, mentibus nostris innatas, itidem negare, luminis *naturae* & *rationis* vocabula vero, sed in aliam, quam veteres, sententiam, retinere, re ipsa non dissentiunt.

Omnes

\*) „soferne dieses Erkenntnis durch die natürliche Kraft der Vernunft zu erhalten ist.“



Omnes enim hoc volunt: posse hominem, reuelatione diuina nulla adiutum, viribus suis naturalibus solis nixum, ex consideratione contemplationeque rerum creatarum, ad notitiam propositionum vniuersalium peruenire, quae intellectui & rationi prae luceant ad cognitionem dogmatum Religionis, quam inde Naturalem dicendam esse affirmant.

## §. X.

Ex iis, quae haecenus dicta sunt, planum est, 1) veteres & recentiores, qui duas Religionis & Theologiae species esse affirmant, Naturalis nimirum & Reuelatae, consentire, diuisionem illam duplici cognoscendi Religionem ac Theologiam principio niti: 2) veteres principium cognoscendi Religionem & Theologiam Naturalem fecisse notiones communes, siue praenotiones, quas comminiscabantur animis hominum a natura insitas esse; & quas eam ob causam *lumen naturae* vocabant: 3) recentiores, qui notiones istas communes, siue praenotiones, menti humanae ingeneratas, recte reiciunt, non satis expedire se posse, ubi principium cognoscendi Religionem & Theologiam Naturalem, quod reuelationi diuinae recte opponatur, constituere debeant: 4) hinc in definitione Religionis & Theologiae Naturalis nomina alios alia ponere, *lumen naturae, rationem, vires intellectus humani naturales, vim rationis naturalem, vires hominis naturales*; omnes denique ad propositiones vniuersales deuenire, quas homo naturaliter, siue viribus suis naturalibus solis, absque reuelatione diuina, si ea, quae sunt in mundo hoc & fiunt, contempletur & consideret, reperire possit, & quae ipsi tamquam principia prae luceant ad cognitionem existentiae dei & dogmatum Religionis & Theologiae Naturalis.

## §. XI.

Postremum hoc, quod de viribus hominis naturalibus affirmant, quale sit, age iam considerabimus. Conabimur autem planum facere,

II. *Hominem, viribus suis naturalibus vnice relictum, non posse deum cognoscere, multo minus colere.*

## §. XII.

*Deum cognoscere posse*, nam ab huius rei interpretatione faciendum esse initium putamus, hoc in loco est, ex ignoratione dei, rerumque diuinarum summa ad earum rerum intelligentiam peruenire posse. Ignoratio enim autem intelligo summam: ubi homo ne fando quidem audiverit vnam,



quam, esse aliquod numen diuinum. Nam qui falsas de deo rebusque diuinis opiniones, erroresque, grauissimos licet, & superstitiones pene aniles fouent; quod videmus accidisse non hominibus singulis tantum, sed nationibus integris: illi vero esse aliquod numen dicunt, quod regat omnia, haud ignorant; etiamsi error illud in deos plures quasi discernerit, atque finxerit prope innumera, indigna prorsus numine diuino. Hoc assentient omnes. Verbis igitur pluribus disputandum esse non puto. Venio autem ad quaestionem difficiliorem multo, & subobscuram: quando dici homo possit, ac debeat, viribus suis naturalibus solis & vnice-relictus esse.

## §. XIII.

*Vires hominis naturales* hac in causa quae dicantur, si ex iis quae, quibus diuisio Religionis & Theologiae in Naturalem & Reuelatam placet; respondebunt, facultatem hominis cognoscitiuam se intelligere cum vi, qua ad agendum moueatur. *Facultas* quidem, quae nuda agendi potentia est, a vi, quam nisum & conatum agendi interpretantur, omnino differt. Vim porro anima nostra vniam habet. Vna; autem illa animae humanae vis facultatem cognoscitiuam variis ac diuersis modis ad agendum mouet. Hinc non solum modi illi varii ac diuersi, in quos facultas cognoscitiua ad agendum moueri potest, facultates dici; nominibusque distinguui; sed ipsae quoque facultates illae *vires intellectus humani*, vel *rationis*, vel *hominis etiam naturales* appellari a philosophis & theologis coeperunt, vbi non tamquam potentias nudas, sed vna cum naturali illa animae vi, quae ad agendum mouet, considerari eas volunt. *Viribus hominis naturalibus* opponunt *supernaturales*: quibus per efficaciam, vim, ac potentiam actiuam supernaturalem & vere diuinam scripturae sacrae armari dicunt intellectum & voluntatem hominis, diuinae illi vi scripturae sacrae obicem non ponentis. *Hominem* denique *viribus suis naturalibus vnice relictum esse* affirmant; si reuelatione diuina, siue scriptura sacra, ex cuius vsu salutari vires supernaturales ipsi oriri possint, prorsus careat. Hoc vel ex definitionibus Religionis & Theologiae Naturalis ac Reuelatae, quas afferre solent, satis intelligitur.

## §. XIV.

Ea vero, quae haecenus retulimus, accuratius examinari, suisque momentis ponderari debent: vt, quid in iis verum sit, quidue minus, omni-



no appareat. Magna enim, sed parum adhuc observata difficultas in *virium naturalium* nomine latet: quae in locum sane lubricum nos deducit; ex quo evadere sine casu aliquo aut prolapsione haud poterimus; nisi ipsum illud *virium* hominis *naturalium* nomen diligenter excutiamus; atque quo iure, quae iniuria *viribus* hominis *naturalibus* opponere *supernaturales* soleant, studiosè exquiramus.

## §. XV.

*Naturale* opponi tam *acquisito* solet; quam *supernaturali*. Si *naturale* opponitur *acquisito*; illud significat id omne, quod vnius naturae beneficio; hoc, quod vsui atque exercitationi debetur. Iam igitur si quaeritur, quid *animae hominis naturale* sit, vt distinguatur ab *acquisito*; illud omne intelligitur, quod animae naturaliter, id est, a natura inest: siue quidquid illa solius naturae beneficio, non ex vsu aliquo, vel exercitatione habet. Ita animae insunt facultates cognoscitiva & appetitiva, cum vi, qua facultates illae moveri possunt. *Acquisitum* autem illud omne dicitur, quod anima non a natura sola habet; sed vsu quodam & exercitatione consecuta est: quales sunt habitus omnes. Nam habitus nullus insitus, aut ingeneratus animae est. Quoscumque habet; vsu quaerendi & exercitatione fuerunt. Si vero *naturale & supernaturale* inter se opponuntur; illud dici solet, quidquid viribus rerum creatarum, secundum leges mutationum in mundo, effici potest: hoc, quod evenit; est per vires rerum creatarum, secundum leges mutationum in mundo, effici non potuisse certum sit. Planum est, si de *naturali & de supernaturali* quaeratur; de euentu aliquo in mundo, non de eo quaeri, quod rei alicui creatae, qualis anima hominis est, insit, vel non insit. Parum apte igitur loqui videri debent, qui de *naturali & de supernaturali* animae humanae, nescio quo, loqui haud dubitant.

## §. XVI.

Iam igitur si de *viribus* hominis, animam maxime intelligi planum est, quaeritur; dubio caret, de facultatibus animae cum vi, quae facultates ad agendum movet, sermonem esse. Vis autem haec quum facultates varie ad agendum moueat; ipsae facultates, quatenus ab insita animae vi moventur, *vires animae*, vel *hominis* etiam, dici recte poterunt. Vires porro illae animae atque hominis considerari possunt *non solum* quatenus animae a natura insunt; *sed etiam* quatenus agunt cum promptitudine quadam, quae-



quaesita vsu & exercitatione. Ita vero apparebit, recte *vires* animae & hominis diuidi posse in *naturales* & *acquisitas*. *Vires animae naturales* erunt facultates animae cognoscitiua & appetitiua, quatenus illae cum vi, qua mouentur, animae a natura insunt. *Acquisitae*; promptitudo agendi facultatum cognoscitiuae & appetitiuae, a vi animae naturali motarum; quam anima vsu & exercitatione consecuta est: siue habitus omnes facultatis cognoscitiuae & appetitiuae. *Vires hominis naturales & supernaturales* si inter se opponantur, quales dici possint, non video: quod definitio *τῶν naturalis* & *τῶν supernaturalis*, quam supra dedi, huc plane non quadrat. Nam si de *naturali* & de *supernaturali* sermo est; non de *viribus*, sed de *euentu* quodam quaeritur; vtrum is a viribus certi alicuius entis, secundum leges mutationum in mundo, pendeat, nec ne. Inde apparet, *vires* ipsas rerum creaturarum diuidi in *naturales* & *supernaturales* non posse: minusque mirandum esse, eas appellationes non posse a theologis, qui iis vtuntur, aperte satis & plane explicari.\* Scilicet nomina illa tenebras offundunt rebus, quas declarare debebant. Quas *vires hominis naturales & supernaturales* vocare solent; eae *vires acquisitae* sunt:

\*) Consideres mihi, quaeso, verba B. ERN. AVG. BERTLINGII, de *Offic. & Virtutib. Christianor. Parr. I. Cap. VI. §. 99.* „Quamvis vero redempti „sint homines, tamen non possunt abstinere a peccatis, & ne quidem ipsum „hoc redemptionis medium suum facere. Quum vires naturales insufficientes „sint, ipsis a Deo debet donari aliquid, quo possint bonum cogitare, velle „& perficere. Hoc aliquid (notione qualicumque hic contenti) est complexus „viriū supernaturalium, a Deo hominibus donatarum, quem appellamus „GRATIAM.” Potuissetne magis perplexe dicere? Laudat vnum „aliquid, quod ipse fatetur declarare se non posse, quale sit: vnde qualicumque „notione contentum se esse scribit. Ergo erunt lectoras etiam? Sed quae- „nam est qualicumque ea illius aliquid notio? Illud aliquid est complexus „viriū supernaturalium, a deo hominibus donatarum. Neque vero dixerat „in superioribus, aut hic declarat, vires illae *supernaturales* quales sint. „Ita obcurum exponit per aequè obcurum. Sed *complexum viriū super- „naturalium a deo hominibus donatarum* appellabimus, ait, GRATIAM. Tuam fidem, Lector candide, satisne intelligis, qualis ea *gratia* sit, de qua „sermonem instituat? Eae vero spinosae de *gratia* & de *viribus supernatu- „ralibus* disputationes, quibus ecclesia Graeca plane caruit, in Latina fre- „quentari inde ab Augustini temporibus coeperunt. Occasionem autem sine „dubio praebuit interpretatio Latina vocis Graecae χάρις: quae quum verū „beneficium debebat, reddita est ab Interprete Latino *gratia*. Plura de hac „re addere hic iam non fuit instituti ratio.



sunt: id est, habitus. Dilucide igitur planeque loqui si velimus; dicemus, non *vires naturales*; sed *habitus, nudis*, id est, ab efficacia veritatum, quae ex scriptura sacra innotescunt, non impulsis *animae viribus naturalibus acquisitos*: neque *vires supernaturales*; verum *habitus, non viribus animae naturalibus nudis, sed a vi veritatum diuinitus reuelatarum impulsis, acquisitos*. Nimirum habitus illi, quos appellare vires supernaturales solent, non possunt acquiri sine facultatibus & vi, quae animae humanae a natura insunt; siue sine viribus animae naturalibus. Sed vis illa animae naturalis per se non valet ad mouendum facultates animae naturales sic; vt habitus illi, de quibus loquimur, oriri homini possint: nisi ipsa a vi veritatum diuinitus reuelatarum impellatur armeturque, & quasi suffulciatur.

## §. XVII.

Quum porro appetitus & auersatio in anima orientur ex repraesentatione intuitua boni & mali: repraesentatio autem illa fiat per sensus atque imaginationem: vires naturales facultatis appetitiuae pendebunt a viribus naturalibus facultatis cognoscitiuae. Inde autem intelligimus; quare vires naturales facultatis cognoscitiuae dici *κατ' ἐξοχὴν vires hominis*, siue animae eius, *naturales* possint, ac soleant.

## §. XVIII.

Haec, quae de viribus animae humanae breuiter haecenus disputata sunt, possunt nobis viam munire ad rationem cognoscendi statuendique de quaestione: quando *homo* dici possit ac debeat *viribus suis naturalibus vnice relictus esse*. De qua quidem quaestione ab iis, qui Religionem aliquam esse decernunt, quae viribus hominis naturalibus solis nitatur, quam inde Naturalem dicunt, me non posse non dissentire, ex iis, quae superius (§. XVI.) disserui, facile intelligitur. Illi enim quum hominis *viribus naturalibus* opponere *supernaturales* soleant, quae vi & efficaciae veritatum in scriptura sacra diuinitus reuelatarum vnice debeantur: ego, loco, quem dixi, lectores admonui, eam oppositionem locum habere non posse: nomina ipsa *virium naturalium & supernaturalium* ad significandam rem, ad quam denotandam adhiberi soleant, parum apta esse: denique illud totum, quod nominibus illis indicare velint, qui iis vtantur, pertinere ad *vires hominis acquisitas*; quas *naturalibus* vnice opponi recte posse, ibidem planum feci. Ita autem satis apparebit, hominem non posse statim



dici viribus suis naturalibus solis & vnice relinqui; si careat reuelatione diuina, in codice sacro literis consignata. Nam vires *naturales* quum non possint aliis opponi, nisi *acquisitis*: sane haud poterit dici *naturalibus solis & vnice* relictus esse, qui habeat *acquisitas*; quocumque tandem modo eas collegerit. Quodsi igitur quaerimus; num homo, viribus suis naturalibus vnice relictus, possit deum cognoscere; scire hoc volumus: num homo, qui facultate animae cognoscitiua, cum vi, quae ad mouendam facultatem eam animae ingenerata est, adhuc sola gaudeat, possit, si solus sibi relictus sit, eas facultatis cognoscitiuae vires acquirere; quibus ex consideratione contemplationeque huius vniuersi notitiam existentiae, attributorum, & operum dei capere valeat. Dum enim hominem, de quo quaerimus, viribus *naturalibus* vnice reliquimus; vires ipsi *acquisitas* omnes detrahimus. Videmus, non licere hac quidem in causa, quam in praesentia tractamus, hominem sumere; qui, etsi reuelationem diuinam, siue veritates diuinitus reuelatas, quae nobis ex scriptura sacra innotescent, ignoret, tamen in scientiis philosophicis & mathematicis institutus, aliorum ope auxilioque non minus, quam suo ipsius studio & labore habitus facultatis cognoscitiuae superioris haud spernendos collegerit: de quo homine inferius, Sect. II, quaeremus, quos absque notitia veritatum reuelatarum, quas scriptura sacra nos edocet, in cognitione dei & religionis progressus facturus sit: sed sumendus nobis erit homo talis quidem, quales nascimur omnes; qui vero inde ab aetate tenera destitutus sit diligentia & cultura, qualem parentes nobis, ac homines alii adhibuerunt. Neque enim inuestigare poterimus, quas *vires* homo, *naturalibus* vnice relictus, *acquirere* sibi valeat; nisi eum, nulli aliorum curae commendatum, aut studio adiutum, nudis naturae suae viribus nitentem, ante oculos nobis ponamus.

## §. XIX.

Hominem scimus cum anima nasci, quae praeter facultates nudas vim a natura instam habet; qua vi facultates animae moueri ad agendum possunt. Facultas cognoscitiua quidem, nam de eius viribus maxime hic quaerimus, mouetur ab vna illa vi, quae animae a natura inest: sed ipsa illa vis vna, animae nostrae ingenerata, vt facultatem cognoscitiuam mouere incipiat, excitanda est per res externas sensus ferientes. Hinc tritum illud: Omnis nostra cognitio incipit a sensibus. Iam vero singamus animo, libe-

rae



rac enim sunt cogitationes nostrae, & quae volunt sic intuentur, vt ea cernimus, quae videmus: fingamus igitur cogitatione hominem, qui seiuñctus ab omni societate humana, sibi & naturae viribus vnice permittis, adolescat. Illi homini autem; praeter animam enim, cui facultas cognoscitiua cum vi, qua haec facultas moueri ad agendum potest, ingenerata est, corpus habet organis sensoriis instructum; & ipse inter res creatas plures & varias, nam ab humano tantum conuictu amandauimus, versatur, quae corpori ipsius praesentes sunt: illi homini igitur ideae, quas sensuales philosophi appellant, omnino orientur. Nam res, quae extra ipsum sunt, & mutationum certarum in organis eius sensoriis causae sunt, non possunt non excitare atque impellere vim animae innatam ad mouendum facultatem cognoscitiuam. Ita vero excitata animae vis, mouebit facultatis cognoscitiuae partem inferiorem; vt vires naturales inferiores agere incipiant, sensus, imaginatio, memoria. Vires, inquam, inferiores. Nam ad hoc, vt vires superiores agere incipiant; siue vt vis animae humanae ingenerata pertingere, vt ita dicam, valeat ad facultates etiam superiores, atque mouere ad agendum incipiat facultatem attendendi, reflectendi, abstrahendi, comparandi, ratiocinandi; ad hoc, inquam, requiritur aliquod alimentum; quod non potest aliunde exspectari, quam a conuictu & conuersatione cum hominibus aliis, qui facultatem cognoscitiuam superiorem qualicumque modo iam excultam habent. Hinc homo, nisi inter homines, sed in solitudine desertissima ab hominibus aliis inter feras adolescat, praeter formam hominis humani nihil retinebit. \*) Eos autem, qui inter homines quidem, sed immanifectos, agre-

\*) Hoc quam verum sit, exemplis ostendendum est; quum ratione demonstrari vix possit. Laudatur a. b. i. o. PETR. REVSCHIO, *Metaphys.* §. 423. p. m. 339. not.\* H. C. KOENIGII *Schediasma de hominum inter feras educatorum statu naturali solitario*: eum vero libellam, licet curiose quaesiuerim, reperire nondum potui. ADAMI HENR. LACKMANNI *Oratio de pueris feris, eorumque natura & moribus*; nihil habet, quod huc pertineat. Nam quae p. 11. de puero quodam, in saltu Hameleni capto, refert; ea plenius narrantur in *Supplemento IV. Curieux, and nutzbar. Anmerk. von Natur- u. Kunst-Geschichten, gesamml. von IO. KANOLD*, p. 69 sq. Ex hac autem relatione discimus, puerum eum neque inter bestias adoleuisse; neque in saltu aliquo captum fuisse. Magis merentur hic commemorari, quae in *dem dritt. Versuch der Eresl. Samml. von Natur u. Medicin, wie auch hierzu gehoer. Kunst u. Literat. Gesch.* p. 549 sq. ex *TULPII Lib. IV. Obs. 10. p. 297 sq.* de iuvene quodam inter oues feras in Hibernia adulto, atque a venatoribus, qui saepe, irrito inepto, recedere



agrestes, ac rudes educati sunt, videmus facultatibus animae superioribus ut parum didicisse: minus certe, quam illos, qui apud politos, urbanos, & elegantes adoleverunt. Ad eam denique, quae ex conuictu humano & societate proficisci solet, facultatum animae superiorum culturam si accedit institutio atque exercitatio in scientiis mathematicis & philosophicis assidua & diligens; tum vero ea virium naturalium superiorum perfectio ac absolutio existere solet, qualis in his naturae humanae angustis dici singularis & eximia potest.

## §. XX.

coacti fuerant, tandem capto, leguntur. Ille igitur non vocem humanam, sed ovium instar balatum dabat: gramine foenoque vescatur: & praeter formam hominis nihil habebat, quo eum discernere a bestia potuisses. Omnium autem maxime memorabilia sunt, quae refert BERN. CONNOR, in *Evang. Medici*, p. m. 133 sq. edit. Ienenf. „Cum nuper, Anno 1694  
 „Varaviae in aula Iohannis Sobiesci, defuncti iam Regis Poloniae, aliquan-  
 „diu versatus fuerim, in memoribus ad Lithuaniae & Russiae confinia sitis  
 „a venantibus Syluicolis captus fuit inter gregem visorum iuuenis Sylua-  
 „ticus, decem circiter annos natus, aspectu horridus, & pilis hirsutus; qui  
 „neque rationis, neque loquelae, immo neque vocis humanae vsu gaudebat:  
 „pedibus & manibus instar quadrupedis incedebat: nihil cum homine com-  
 „mune habebat, praeter externam nudi corporis figuram. Cum autem  
 „vultu saltem hominem imitaretur, lauari fonte fuit initiatus; & a bruto-  
 „rum grege secretus, humanae societatis ipsum primo taedere videbatur; in-  
 „quietus enim, anxius, & ad fugam propensus erat, quasi in carcere seipsum  
 „detineri crederet: Donec, levatis contra murum manibus, pedibus tan-  
 „dem stare, uti infantes vel catuli solent, edoctus, & dapibus humanis pau-  
 „latim assuetus, post longum tempus cicuratur; & verba quaedam rauca  
 „& inhumana voce proferre incepit. Interrogatus autem de Sylvestris vitae  
 „cursu non magis recordatus erat, quam nos meminimus eorum, quae acta  
 „sunt, quando in incunabulis vaguimus. Rex ipse, plurimi Senatores, &  
 „multa horum locorum fide digni indigenae mihi certo asserunt, & pu-  
 „blica & indubitata fama in tota Polonia, quod nonnunquam infantes ab ur-  
 „sis alantur. Dicunt enim, quodsi infans ante fores, vel prope sepem, vel  
 „in agro ab incautis parentibus relictus a famelico vrsu in vicinia pascuae si-  
 „mense corripetur, in frustula statim discerpitur deuoratur; si vero a lactan-  
 „te vrsa captus fuerit, ad vrsile vehitur, & inter vrsulos, tanquam inter  
 „Germanos fraterculos, materno quodam amore porrectis vberibus nutritur;  
 „& post aliquot annos a venantibus rusticis aliquando capitur; uti anno  
 „1669. casus alter, huic nostro similis, contigit, quem tunc temporis Var-  
 „aviae se vidisse mihi hic Londini iam asserit Excellentissimus Vir, Iohannes  
 „Petrus van dem Brande, Dominus de Cleuerskerk, ad aulam nostram  
 „tunc Legatus Batauus. Quem casum fufius describam in tractatu de Regi-  
 „mine Regni Poloniae, quem breui in lucem sum in vernaculo nostro ser-  
 „mone editurus.”



Atque haec quidem tam certa sunt; quam sunt ea, quae in dubium vocari nequeunt. Nemo hominem, qui, remotus a communitate vitae vicusque humani, in solitudine inter feras adolescens, sola natura magistra ac duce, ad facultatum superiorum usum peruenit, aut vidit unquam; aut tale quid de homine aliquo siue relatum legit, siue fando audiuit. Hominum autem exempla adsunt, quorum nos paullo ante aliquot indicauimus, qui in infantia, casu quodam, ex conuictu hominum in solitudine inter feras collocati, atque post annos plures ab hominibus reperi atque capti, sensum, non item rationis usum habebant: post ea autem multo aliorum studio ac labore manifesti conuocatiueque, facultate cognoscitiua superiore vti sensum pedetentimque didicerunt. Nimirum ad hoc, vt ideae sensuales, quas bestiae nobiscum communes habent, oriantur animae; praeter sensus res externae requiruntur, a quibus nerui organorum sensorum moueantur. Sensus autem homo a natura ingeneratos habet: neque desunt res externae, quae, si etiam inter feras homo agat, sensus ipsius moueant; in imaginationem incurrere, atque insidere in memoria possint: quod ipsum fieri quoque in bestiis videmus. Sed notiones, siue ideae vniuersales, quae generum rerum sunt, & specierum, hominibusque propriae, non informantur menti, nisi per voces humanas: id est, per sonos articulatos, quibus homines inter se vti solent cum ad demonstrandas res singulares, tum ad ideas vniuersales, generum rerum ac specierum, significandas. Ita obseruamus in puerulis, facultatem cognoscitiuam non ante incipere agere; quam illi voces percipere animo, atque reddere ore discant. Nam verborum vsus non potest non ipsorum mentibus quasi instillare notiones rerum, quarum illa signa sunt; atque ita vires animae superiores magis magisque elicere: quum surdos ac mutos contra, qui vtilitate hac opportunitateque frui non possunt, facultatis cognoscitiuae inferioris usum prope solum habere, atque in hoc ipso animantibus brutis haud ita multum praestare plerumque cernamus.

Illam

\*) Inuat hic apponere verba IO. CONR. AMMAN, ex *Differ. de Loquela Cap. I. p. 2.* de surdis & mutis. „Quam stupent vtplurimum! quamque parum a brutis animantibus differunt! imprimis si Parentes & domesticos nati fuerint eorum negligentes, quibusque nutibus & signis imitatis ipsis fociordiam expellere, & cogitandi quendam habitum inserere cordi non est. „At licet obtineant ipsis Parentes diligentissimi, quam manca est & mutila, „quae

D



Illam vero intellectus & rationis vim prope diuinam, quam in philosophiis magnis & mathematicis admirari cogimur, longi vsus, exercitationisque assidue & diligentissimae fructum esse inter omnes constat.

## §. XXI.

Perspicuum est, hominem, si viribus suis naturalibus vnice relinquatur, neque habeat adiumenta a conuictu humano & societate, numquam eo peruenturum esse, vt facultate cognoscitiua superiore vti incipiat: quae vna tamen maxime fit; vt ipsius natura pecudibus reliquisque belluis antecedit. Quum vero is homo, qui careat vsu facultatis cognoscitiuae superioris, res, quae sunt in mundo hoc, singulares sensibus tantum, haud aliter ac bestiae solent, percipiat: quaeso, qui poterit ex earum rerum contemplatione cognitionem propositionum vniuersalium capere; quod fieri, nisi attendendo, reflectendo, abstrahendo, comparando, ratiocinando, nequit? Aut quo modo propositiones vniuersales ad cognitionem dogmatum Religionis, quorum primum est, esse deum, praelucere rationi poterunt; quam ille re ipsa nullam habet? Quid enim interest ad causam, de qua quaerimus, vtrum quis rationis expertus sit, an facultate, quam habet, nesciat vt? Itaque planum erit, si considerare omnia recte velimus, hominem, viribus suis naturalibus vnice relictum, deum cognoscere non posse.

## §. XXII.

Quodsi autem homo, viribus suis naturalibus vnice relictus, nequit deum cognoscere: multo minus colere deum poterit. Haec consecutio tam aperta & manifesta est; vt multis verbis tractare eam, non dicam, non oporteat, sed ne quidem opus sit. Quid enim esse explicatius potest, quam hoc: non posse te colere, quem prorsus ignoras, sit, non sit, qualisue sit? Omittimus igitur de hoc plura addere, atque ad illud accedimus, quod supra (§. I.) postremo loco ponebamus; vbi pollicebamur, probaturos esse

## III.

„ quae cum ipsis instituitur, per gestus & signa confabulatio! intra quam  
 „ paucos domesticos & familiares restricta! quam parum, imo vix superficere.  
 „ nus capiunt, quae corporis animaeque salutem, disciplinae abstractiores &c.  
 „ concernunt! „



III. *Religionis & Theologiae inter homines notitiam omnem reuelatione aliqua diuina niti: diuisionem autem Religionis & Theologiae in Naturalem ac Reuelatam ratione vacare, & parum aptam esse.*

## §. XXIII.

Quum nemo mortalium, si viribus suis naturalibus vnice relinquitur, possit facultatis, licet ingeneratam omnes habeant, cognoscituae superioris vsum re ipsa consequi; multo minus contemplando res creatas ad propositionum vniuersalium cogitationem deduci, quae intellectui praeuiceant quasi ad capiendam cognitionem dei & Religionis: consentaneum erit, notitiam eam numinis alicuius diuini qualemcumque, quam inter gentes, reuelatione diuina, quae in codice sacro literis consignata est, carentes, erroribus licet turpissimis inquinatam, deprehendimus, non aliunde fluere, quam ex aliqua traditione posse. Quodsi igitur vltimas omnis cognitionis dei inter homines origines inuestigare velimus; deueniemus ad totius generis humani parentes, a quibus propagari eam ad posteros potuisse, dubio carere videntur. Primi autem homines vnde notitiam dei habuerint, non solum quaeri haud inepte potest; sed inuestigari a nobis debet etiam, si, quam nullo fundamento notitiae dei, quae proficiscitur ex reuelatione, opponi nescio quae naturalis soleat, prorsus declarare velimus. Tam igitur si quaeramus, vnde homines primi notitiam dei & religionis habuerint; non ignoro, eam vulgo imaginis diuinae partem censi. Est omnino illud de imagine diuina locus patens latius propter quaestiones varias ac subtiles, quam vt in hac quidem breuitate nostra examinare omnia accuratius possimus, quae de similitudine hominum primorum cum deo disputari solent. Quare eius rei tractationem paulo plenioribus libris de institutione Theologiae Dogmaticae seruamus, quos, si vitam deus & vires concesserit, edituri sumus. In praesentia autem ex iis, qui eam parentum generis humani cum deo ante, quam peccarent, similitudinem facere tantam non dubitant, vt prorsus non appareat, qua tandem ratione fieri poterit, vt homines illi vniquam peccarent, quod euenisse tamen fateri coguntur, & iubentes concedunt: ex iis igitur, qui hominibus primis cognitionem dei & rerum creatarum perfectam, animisque eorum ingeneratam, siue in creatione ipsa a deo insitam, tribuunt, quaerere licebit pauca. Quaero autem primum, quare, si homines primi a deo creati sint non cum facultate cognoscitua nuda, sed



sed cum cognitione ipsa dei & rerum creatarum; siue non cum potentia cognoscendi, sed cum cognitionis actu; quare igitur posteri eorum omnes nascantur cum facultate cognoscitiua nuda. Num forte id ad naturae humanae corruptionem pertinet, ortam ex parentum communium peccato? Ast foret hoc naturae pristinae non deprauiatio quaedam, sed sublatio: neque, vt alia iam taceam, effici tanta rerum conuersio, absque potentia dei absoluta, per solam vim naturalem pomi ab homine comesti, potuisset. Illud etiam rogo: si homines primi habuerunt notiones rerum animis eorum a deo per creationem ipsam ingeneratas; dicant, qui hoc affirmant, vtrum dei & rerum creatarum omnium; an dei tantum, & rerum creatarum quarundam? Omnium? Minime vero. Ignorabant enim communes omnium nostrum parentes arborem, quae dici deinde arbor cognitionis boni & mali coepit. Neque nouerunt serpentem seductorem. Ergo quarundam? Sed quare creator animis ipforum iniecerat notiones alias omnes potius, quam eas, quibus carere omnium minime debuisset, euentus docuit; arboris pestilentissimae, & seductoris inimici? Earum igitur notionum infusionem num sapientia creatoris infinita omittere, aut bonitas immensa inuidere forte potuit? Nulla ratione potuit; si iniecit notiones alias. Quid igitur? Quod deus hominibus primis non ingenerauit notiones eas, quae retrahere eorum manus ab arbore infausta, & armare animos contra seductorem callidum potuissent; hoc vero satis probat, ingenerasse nullas, prorsus nullas. Creauit igitur cum facultate cognoscitiua nuda; & cum vi, qua illa animae facultas moueri poterat.

## §. XXIV.

Ita autem apparebit, homini primo ad hoc, vt facultate animae cognoscitiua, cum qua creatus erat, vti sic disceret, vt ea re similitudinis cum deo insitae sibi fructum vberissimum percipere possit, auxilio dei singulari opus fuisse. In causis, quare deus hominem, sui imaginem, rerum creatarum, quas in orbe terrarum collocauerat, principem, & futurum dominum, post caeteras omnes videtur creare voluisse, sine dubio etiam haec, & fortasse non postrema fuit; vt statim sub primam eius, vt ita dicam, in terrarum orbem ingressionem vis facultatis cognoscitiuae excitaretur agitareturque, si occurrerent res multae ac variae, quae sensus hominis mouerent, animamque eius imaginibus & ideis quasi replerent. Sed ea res valebat ad agitandam facultatis cognoscitiuae partem inferiorem; non  
item



item ad mouendam partem superiorem: quae maius aliquod adiumentum creatoris desiderabat. Neque vero defuit deus homini, quem corporis viribus virum, animae, infantem creauerat. Nam quod infantibus nobis parentes & homines alii, id pater caelestis homini primo praefecit, eliciendo & informando rerum notionibus ad humanitatem intellectum ipsius. Hoc quo modo, quae ratione a deo factum sit, etsi ego plane definire non ausim; tamen factum esse, non solum naturae humanae, etiam nondum corruptae, conditio suadet: sed MOSEN etiam haud ita obscure significare intelligemus sane; si eius de originibus mundi historiam, contractam illam valde quidem & breuem, immo in multis poetico quodam modo conscriptam, haustam quippe ex carminibus antiquis, quod vnum praecipuum apud homines praesens memoriae & annalium genus fuit \*), absque opinionibus praepiudicatis legamus. Inprimis autem dimittenda ex animo est popularis illa & parum docta opinio; quae homines primos eodem die, quo creati sint, peccato suo in acrumnam incidisse fingit. Sed MOSES in historia sua deum quasi paedagogum aliquem Adami beneuolentissimum & diligentissimum inducit. Non sinit creator benignissimus hominem recens creatum in agris, bestiarum more, vagari; sed statim introducit in Paradisum Hedenis, tanquam in sedem stabilem & domicilium certum. Edocet etiam de horti cultura; de pomorumque arborum regionis eius siue salubritate, siue venenata natura. Iubet eum vscæ salubribus; monet, vt ab arbore, quam demonstrat, vna inprimis diligenter caueat; ne, comedens de frugibus eius, infortunium ferat. Commonstrat herbas etiam, quibus vti pro cibo debeat. Ad hoc bestias agrestes & volucres adducit, & recenset: non omnes quidem ac singulas, vt consentaneum admodum est; sed eas, quas sub ingressum statim in Paradisum nosse hominis maxime intererat. His nomina imponere hominem iubet; vt organæ loquelæ vti addeat. Denique vxorem ad Adamum deducit, in manumque ei tradit. Haec vero omnia refert MOSES *Gen. II, 15-22. I, 28. 29.* breuiter quidem strictimque, vt attingere magis, quam narrare videatur: non ita tamen obscure; vt non appareat id, quod nos inde colligimus, deum hominem primum, cui habitus nullos ingenerauerat, non permisisse vnice viribus suis naturalibus, siue per creationem ipsam institis; sed instituisse

E

beni-

\*) Vide omnino *Deut. XXXI, 19-22.* vnde intelliges, illud memoriae genus Moïsi temporibus frequentari nondum desisse. Lege etiam TACIT. *Germ. 2, 3.* & adde, quae scripsit ADR. A CATTENBURCH, *Syntagm. Sapien- tiae Moïsic. Lib. I. Cap. III. §. 1. p. 19 sq.*



benignissime & erudiuisse ad usum facultatis superioris \*), ad loquelam, ad cognitionem dei creatoris atque eius cultus, siue religionis.

## §. XXV.

Dices: de institutione hominis primi ad cognitionem rerum creaturarum, non item dei & religionis apud MOSEN lego. Quali vero consentaneum sit, deum hominis primi, quem, ut felix esset, creauerat, animum cognitione bestiarum, arborum, herbarum imbucere coepisse; ad notitiam dei & religionis, sine qua felix esse haud poterat, cum non erudiuisse: cum homine locutum esse (de ratione ac modo nihil definio); ipse qui esset, reticuisse. Sed quum homo, hac certe in vita, cognitionem dei capere aliam, quam symbolicam, non possit; consideratione rerum creaturarum autem peruenire ad cognitionem perfectionum diuinarum creatoris debeat, vnde res creatae esse quali specula perfectionum diuinarum haud inepte dici solent: deus hominem primum ad cognitionem creatoris & perfectionum eius diuinarum adducere non potuit; nisi assuefaciendo eum contemplationi rerum creaturarum. Ad hoc Heua non ignorauit, marito & sibi, ne comederent de frugibus arboris cognitionis boni ac mali, interdictum a deo esse, *Gen. I.*, 1. 2. Iam vero quum hominibus primis, ut superius probauimus, notitia dei ingenerata nulla fuerit; neque ipsi etiam, viribus suis a natura infitis vnice relictis, capere eam valuerint: dubium esse non poterit, homines primos notitiam dei ex patefactione, siue reuelatione diuina habuisse.

## §. XXVI.

Ita vero planum erit, Religionis & Theologiae inter homines notitiam omnem reuelatione aliqua diuina niti. Eam autem intelligo, ex qua religio hominibus primis in Paradiso innotuit. Hanc vero dei & religionis notitiam recte propagari per traditionem oralem ad posteros negotio haud ita magno potuisse, facilius intelliges; si cogitare longaeuitatem patriarcharum velis. Neque vero benignitas dei immensa homines post peccatum admissum destituit, aut ipsos sibi solis reliquit. MOSES *Gen. III.* 8 sqq. colloquium dei cum parentibus generis humani post facinus capitale: ab iis patrum refert.

Iam

\*) Dum haec scribo, incidit in manus Cl. IO. GE. KIPPINGII *Versuch einer philosoph. Gesch. der natürl. Gottesgelehrsamk.* Eum igitur librum euoluens, video virum doctissimum non solum notiones eas, quae intellectus propriae sunt, ortas homini primo non sine singulari auxilio diuino esse mecum statuere; sed omnem etiam cognitionis dei inter homines originem a reuelatione diuina repetere. Sed in probanda sententia sua aliam, quam ego quidem, viam ac rationem sequitur. Ipsum lege *in I. Theil I. Abschn. 9. u. f. §. §.*



Iam vero quorsum in colloquio illo poenarum peccati, quas vitae vsus & experientia homines edoctrina fatis erat, denunciatio; si emergendi ex tot malis, in quae illi se & posteros ingurgitauerant, rationem deus nullam ostenderit? Immo quum a iustitia dei sciungi benignitas nequeat; non potuit deus in colloquio illo peccati poenas, hominibus subeundas, indicere; remedium ad toleranda tot mala nullum exhibere. Hoc si cogitare vellent, qui Messiae promissionem ex iis, quae *Gen. III, 15.* legimus, tollere magnò conatu audent; sperarem omissoiros esse verba ista contortis interpretationibus vterius lacerare. Idem MOSES alia etiam dei cum hominibus, tam ante, quam post diluuium, colloquia commemorat: & quis dixerit, nullum praetermisisse, aut argumenta omnium integra referre?

Dei igitur & religionis notitia a parentibus generis humani propagari ad posteros per traditionem oralem recte potuit; ita vt patres maxime familiarum essent familiae quisque suae doctores & magistri. Mox tamen, vt solet ingenium hominum ad libidinem & ad curam commoditatum vitae huius, quam ad cogitationem rerum diuinarum procliuus esse, notitia dei & religionis coepit negligentius haberi, atque religio ipsa sordibus variis, pluribus semper ac foedioribus inquinari: donec tandem maxima hominum pars impietate ac turpitudine summa immergeretur. Inde apud gentes integras iam non religio; sed superstitio: non cultus dei; sed idolorum. In quo ipso tamen comparet quaedam veritatis, quae ex reuelatione diuina parentibus gentium illarum innotuerat, vt ita dicam, scintilla. In ipsa enim superstitione resederat qualiscumque existentiae numinis alicuius diuini notitia: etsi, quale numen illud diuinum esset, ignorarent omnes. Nam philosophi etiam gentium profanarum, qui temporibus vetustioribus & praecis ex mysteriorum fortasse scholis prodierunt; erit autem in rebus tam caliginosis coniecturae aliquis locus \*): illi igitur philosophi, etsi non versarentur in erroribus vulgi, aberant tamen a veritate. Ingenio enim grassabantur: rationem ducem haud habebant.

## §. XXVII.

Quorsum vero haec omnia haecenes disputauimus? Vt appareat, diuisionem Religionis & Theologiae in Naturalem ac Reuelatam ratione vacare, & parum aptam esse. Qui illam Religionis & Theologiae diuisionem tuentur, fundamentum eius in diuersitate principii cognoscendi ponunt. Sed ea diuersitas plane euanesceat, si diligentius excutiatur. Nam notiones istae

\* Est apud PLATON. in *Phaed.* p. m. 186. ed. Oxon. NATH. FORSTERI, locus valde memorabilis: quem legant velim rerum harum non incuriosi.



communes, sine praenotiones, animae humanae a natura insitae, quas antiquiores dicebant Religionis & Theologiae Naturalis cognoscendae principium esse, nullae sunt. Recentiores autem, qui notiones eas communes, menti humanae naturaliter insitas, recte reiiciunt, non parum fluctuant, ubi principium cognoscendi Religionem & Theologiam Naturalem constituere debent. Tandem ad propositiones, nescio quas, vniuersales deueniunt; quarum notitiam homo, viribus suis naturalibus vnice relictus, absque reuelatione diuina, consignata literis in scriptura sacra, ex contemplatione rerum creaturarum capere possit; & quae ipsius intellectui tamquam principia prae luceant ad cognitionem existentiae dei & dogmatum religionis (§§. III-X). Qua vero in re dupliciter offendunt. Primum in eo; quod vires hominis naturales & supernaturales inter se opponunt: deinde quod reuelationem diuinam scripturae sacrae cancellis circumscribunt. Nam viribus hominis naturalibus non supernaturales, sed acquisitae recte opponuntur. Homo autem, viribus suis naturalibus vnice relictus, non valet deum cognoscere, multo minus colere (§§. XII-XXII.). Reuelatio porro diuina, qua creator benignissimus primum hominem, recens conditum, dignatus est, pro fonte, vti ipsius facultatis cognoscitiuae superioris vsus, ita omnis etiam dei & religionis inter homines notitiae haberi debet (§§. XXIII-XXVI). Vt ita religio & Theologia aliqua Naturalis inter mortales numquam fuerit\*). Non inter gentes, reuelatione diuina scripta destitutas; quippe apud quas notitia dei & religionis propagata ab hominibus praecis ad posteros abiit in superstitionem foedam: neque inter populos eos, qui reuelationem diuinam literis consignatam, in libris, quorum collectionem scripturam sacram dicere consueuimus, habent; nisi in scriptis philosophorum; qui Theologiam aliquam Naturalem nobis obtrudunt, quam videri volunt solo rationis vsu recto excogitasse; quum tamen disciplinam totam ex spoliis reuelationis diuinae, conseruatae inter mortales per monumenta scripta codicis sacri, methodo quadam, quae appellari philosophica solet, artificiose construxerint. Hoc vero quam verum sit, non solum res ipsa, sed historia etiam disciplinae eius, quam Theologiam Naturalem dicunt, tam aperte docet; vt pluribus verbis declarare haud videatur opus esse.

\*) Quum ante dies paucos b. IO. DAV. HEILMANNI *Compend. Theol. Dogmat.* in manus veniret; atque ego librum eum cupide euoluere; inueni eius auctorem vidisse de hac re aliquid quasi e longinquo. Chartae angustia non permittit, vt verba eius, quae p. 5 sq. leguntur, huc transferam.













Tb 2205

ULB Halle

3

004 716 302




4

R

NO











23

CENSURA  
DIVISIONIS RELIGIONIS  
ET THEOLOGIAE  
IN  
NATVRALEM ET REVELATAM

---

CVIVS  
SECTIONEM PRIMAM  
PRAESIDE  
IOANNE FRIDERICO GRVNERO

S. S. THEOLOGIAE DOCTORE ET PROFESSORE  
PVBLICO ORDINARIO

IN FRIDERICIANA REGIA

A. D. VI. OCTOBRIS A. C. N. 1766

TVEBITVR

IOANNES TAMMEN BÜNING  
FRISO ORIENTALIS.

---

HALAE  
LITTERIS HENDELIANIS.

22